Ros Dok Rostocker Dokumentenserver

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

August Varenius

Augustus Varenius SS. Theol. & Phil. D. Hebraicorum Professor. Universitatis Rostochiensis Rector Ad Solemnes Exequias quas ... Dn. Diterico Vieregg/ Haeredit. in Wokrendt ... Marito & Adamo Vieregg/ Filiolo ... Parat Nobilißima Vidua, eademq[ue] Mater moestißima Elisabetha Vieregg. Omnium ordinum Cives Academicos invitat ...

Rostochii: Kilius, 1652

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777372452

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Varenius, A.,

in D. Vieregg

Rost. 1652. /a

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777372452/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777372452/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777372452/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777372452/phys_0004
DFG

AVGVSTVS VARENIVS

SS. Theol. & Phil. D. Hebraicorum Profeſſor.

Univerſitatis Roſtochienſis

RECTOR

AD

Solemnes Exequias quas

Generis & virtutis bellicæ excellentiâ Nobilißimo

DN. DITERICO Vieregg/

Hæredit. in Wokrendt/ & ſub Celſiſſimis Principibus BERNHARDO WEIMARIENSI, bellatore incomparabili, ac MARCHIONE FRIDERICO DURLACENSI, g. m. cohortis Equitum Ductori fortiſſimo.

MARITO

&

ADAMO Vieregg/

FILIOLO, chariſſimis capitibus

Parat Nobilißima Vidua, eademq́; Mater mæſtißima

ELISABETHA Vieregg.

Omnium ordinum Cives Academicos honorificè invitat.

Conventus fiet in æde Mariana poſt horam 3. pomerid.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr. 1652.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777372452/phys_0005

AD funus vitâ pariter ac mortibus diſcretorum *Divitis ac Lazari* nuper ſignum dedit buccina Evangelica: ego, Cives, ad *Nobiliſſimi & Fortiſſimi Bellatoris* DITERICI Vieregge/ Sepulcralia tropæa & equeſtre funus vos convoco: ille nobilitate & imaginibus glorioſi ſtemmatis ſupra *divitem illum*: fidem, ſpem, patientiam cum Nobiliſſimo nunc: at olim *ulceroſiſſimo Lazaro* habuit communem: neq; ullum nobis dubium, qvin, ſimul generoſum illam & invictum exſpiravit Spiritum, aſportatus fuerit ab Angelis in ſinum Abrahami, ibiq;, exutis cicatricib9, uti Lazarus, depoſitis ulceribus, *in æterna receptus cœlorum tabernacula*, æternitatis triumfet Candidatus. Neq; verò opus eſt, ut apud inferos, quæ Papiſtarum ſententia eſt, gremium Abrahami, percontemur, quomodo ex opinione ſeculi jam olim deliravit Lira in h. t. *Lazarus*, inquit, *portatus ab Angelis eſt in Limbum patrum, ubi diſcedebant juſti morientes, antequam impedimentum generale gloriæ per paſſionem Chriſti eſſet amotum.* Cœterum totus ille Limbus Papiſticus nugamentum eſt, quem *Bell.* eodem loco, quo defendit, deſtruit: ſed & ipſe *Lira* in explicatione *chaſmatis*, & illius: *vidit Lazarum de longinquo*, quoſdam arietes Limbi Patrum ſubmovit. *Sinus* ſc. *Abrahæ* cæleſtis paradiſus eſt, ubi *juſtorum animæ ſunt in manu Dei, & non tangit illas tormentum*, ubi exutæ omnibus hujus vitæ doloribus blandè foventur, exhilarantur, & (quæ puſionum felicitas eſt) in ſinu *Patris omnium credentium* è laboribus ſuis requieſcunt, & conſumatiſſimam, quæ in catholico illo judicij die glorificatis dabitur, exſpectant beatitudinem, & coronam juſtitiæ immarceſſibilem. Equidem circa noviſſimorum meditationem

tationem

tationem plurima ſunt tùm *Philoſophorum*; tùm *hæretico-rum*, tùm *Schiſmaticorum* deliria, quæ unus *Epulo & Lazarus*, ille ex flammis: hic ex Abrahami loquens gremio potentèr refutabit. *Immortalitatem animæ* ſchola negavit *Epicuri*, & ante hunc *Dicæarchi & Democriti*; ſed & ex Judæis, *Sadducai*: refutat delirium, anima Lazari, quæ περιαγαλλιᾶ-ται: & Epulonis, quæ ὀδυνᾶται. Circa *eſſentiam animæ* quæ non Mæandri? *Stoici* ex primâ poſtuterina aſpiratione, *Peripatetici* ex quintâ ſubſtantiâ animarum architecti: ipſe *Ariſtoteles* μόνον νοῦν ἀΐδιον & ἀπαθῆ aſſerens l. 2. c. 3. de gen. & l. 3. c. 5. de anim. *Hipparchus & Heraclitus* ex igni: *Hippon & Thales* ex aquâ: *Emped. & crit.* ex ſanguine: *Epicurus* ex atomis: Zeno, ipſum corpus: *Tertullianus* ex ſeminali & animali vapore corporalem, & ſuâ naturâ mortalem l. de reſ. carn. p. 55. Rationalem propugnarunt animam; nec minores, circa *ſtatum ſeparatæ animæ* Labyrinthi; ut enim taceamus, qui *dormitionem animarum* ſtatuerunt, vel in æthere, cum pueris *platonis*: vel in aere, cum *Ario*: vel circa Lunam cum *Endymionibus Stoicorum*, quid *recidivatu* animarum *platonico*, & *pytagorico* juxta quem, qui apud Trojam fuerit *pantoides Euphorbus*, poſtea factus *Pytagoras*, ex hoc *Homerus*, ex hoc *Ennius*: ex hoc neſcio qvis, vel *Pavo* vel *Gallus Gallinaceus*, ineptius? Conferatur de hac μετεμψυχώσεως Acron in Horat. Ovid. in metam. Tert. de reſ. carnis. Nugas has iterum propellit *anima & Epulonis & LaZari, neutra* μεταμορφωθεῖσα. Neq; hic ſubſtitit *inſanientis ſapientiæ* licentia. Animas ſeparatas *ſtertere, ſtupere, quieſcere*, neſcio quo vel *Opio*, vel *Laudano Angelico* vel *Croco narcotico* ſoporari, planè poſt *Leten fatalem* poetarum, quam Virg. l. 6. Aen. expreſſit, ſomniant *Anabaptiſtæ, Arminij Diſcipuli, Photiniani.* An talis *ſtupor & fatalis Lete* convenit *Epulonis animæ*? Unius id prohibet

Lazari

Lazari & 5. fratrum in flammis memoria. *Animas patrum ſub V. T. extra cœlum* ſtatuerunt patres ferè omnes: iiſdem *Limbum*, faciles nugarum architecti, ſtruxerunt apud inferos pontificij: *animabus ſub N. T. ſeparatis, ſequeſtrationem* iterum *in ſubterraneis conceptaculis, ubi expectandæ reſurrectionis in candidâ capiant ſolatium* l. de An. p. 685. *Tertul. & Auguſtinus*: Unde liberaliſſimi nugatores inferorum Pontificii ſuum inſulſè fabricarunt purgatorium. Iterum hos *Limbos* refutat *Lazarus* ante Chriſtum mortuus: nec *Epulo* ignem purgatorium cum ſpe deſituræ pænalitatis; ſed infernalem expertus eſt, & ex qvo, vel *Abrahamo teſte*, nulla redemtio. Diſputatum prætereà eſt, *utrum anima in ſtatu ſeparato ſecum efferat, & foveat, durabilem in hâc vitâ præteritorum reminiſcentiam?* negarunt id præter deliros hæreticos *Anab. Socin.* Scholaſtici non pauci: at rectè affirmarunt poſt ſuum Magiſtrum 3. ſent. diſt. 31. c. 2. ſubtiles *Thomiſtæ* & Angelici *Scotiſtæ*: uno ſaltem diverſi quod illi animas ſeparatas objecta antea cognita reminiſci dicant virtute agente ſupernaturali infuſâ: hi naturali & phyſicâ. Quid ergò *an ex fatali Lete ſtertunt animæ ſine reminiſcentiâ præteritorum?* Næ affirmant id blaſphemi *Sociniani, Anabaptiſtæ, Arminiani*, ut tantò faciliùs monſtroſum obtineant paradoxum: quod ſublatâ reminiſcendi facultate ſponte ſuâ ſequitur, ſc. *non idem numero corpus, nec animam fore in futurâ reſurrectione*, & ſic falſum dixerit *Apoſtolus* Rom. 2. 15. 16. falſum *Propheta* Sach. 12. 10. falſum *Chriſtus* Matt. 25. 44. falſum, *Sapientia* c. 5. 1. & illa reminiſcentia negata mitigabit pœnas damnatis. Atq; non ita è flammis loquitur *dives Evangelicus*: reminiſcitur ille inter ultrices inferorum flammas ulceroſi & pauperis LAZARI: reminiſcitur *recepti in hâc vitâ boni*: reminiſcitur *quinq; fratrum* propter quam reminiſcen-

ſcentiam & irretractabilem dolorum vehementiam, illæ, *Lingua, digiti, aqua* à Spiritu S. in hac *hiſtoriâ* uſurpantur figuræ. Neq; deterior fuit *anima Lazari*, & ſine reminiſcentià: quæ ſi ſubtraheretur, non potuiſſet Lazarus præteritæ vitæ paſſiones ex comparatione præſentis gloriæ ſine proportione æſtimare. Rom. 8. 18. Sed nos jam, qvod noſtrum eſt, agemus. Vivit, triumfat in glorioſo JESU CHRISTI regno, Nobiliſſim⁹, Strenuus & Fortiſſimus quondam Bellator DITERICUS Vieregg p. m. reminiſcitur ſancta ejus anima patriæ, reminiſcitur Eccleſiæ, reminiſcitur expertæ toties, & vel inter medios præliatorum ordines, inter plumbeos miſſilium nimbos divinæ aſſiſtentiæ: reminiſcitur ſanctæ educationis, & fidei jugalis in Nobiliſſima virtutis ac ſtemmatis excellentijs, toties ſpectatæ, & ex tali reminiſcentia in æterna attollitur cœlorum jubila. Noſtrum erit, nunc id agere, ut quemadmodum virtutum eminentiâ à Romuli fece piè defunctus diſcretus fuit: ita in traditione ſupremorum peculiarem memoriam habere poſſit. Neq; verò vel Punico more *δημόσιον πένθος* indicere, vel barbaro luctu immaturam mortem conqueri decebit, nec *maximâ hoſtiâ parentare* licebit. Memoranda erat illuſtris gloria *ex virtute acquiſita*: quæ tanta fuit in piè defuncto, quanta quæ ex *majorum gentilitio ſangvine* fuit tradita: ſed nos de more ſeculi primam dabimus memoriam *ſtemmati.* Natus ergò eſt Generoſus ac bellicâ virtute inclutus noſter DITERICUS Vieregg p.m. menſ. Martio Anno cIↃ IↃc XIV. *Generoſis ac Chriſtianis parentibus*, ex vetuſto illo ac Nobiliſſimo VIEREGGIORUM Stemmate, cujus peculiaris illa eſt eminentia, quod gentilitio jure, & CCC. annorum præſcriptione, ille, qui Senior eſt naſcendi ſorte, ſublimi MARSCHALLI Sverinenſis nunc principatus attollatur honore: quo in decus patriæ nunc fungitur Generoſus ac Ampliſſimus DN. CASPARUS Vieregg/ &c. Conſul hujus Reip. Inclutus. Intuere jam atavum Generoſi piè defuncti ſtemma. *Patrem* habuit PAULUM *Andream* Vieregge in Woſrendte Hæreditarium. *Avum Paternum* Generoſum DITERICUM Vieregge/ qui ex Nobiliſſimo Stemmate de Lühe/ inclytam virtutis ac ſangvinis nobilitate tori ſociam habuit, ELISABETAM p. m. defuncti noſtri Aviam paternam, unde altius ſe attollens VIEREGGIORUM ſangvis, *Proavos* jactat, Rabazo VIEREGGE & JOACHIMUM de Lühe: illum in Woſrendt &

Giſaw: hunc in Redderſtörff & Költzow hæreditarium. *Proavias paternas* MAGARETAM de Bülow/ & AGNETAM Beeren/claro ſangvinum ſplendore Matronas: *Abavos* Generoſos MATTHIAM Vieregg/ & GEORGIUM de Lühe: Abavias MARGARETAS Sperling de *domo* Rüting/& von der Oſten/ de *domo* Karſtow/unde altius aſcendendo, *atavias*, *tritavias* & ultra jactat *Generoſas* omnibuſq; muliebris ſexus excellentijs eminentiſſimas *Matronas de* Stemmatibus Bibow/ *de* Schwerin *de* Leiſten/qvibus iterum nominandis ad explendum Majorum *Nobiliſsimorum octonarium*, addenda erunt celebria familiarum inclutarum nomina *de* Moltzan/ *de* Behr/ *Normanorum item & Büloviorum*: nec minus Maternus ſangvis ſe attollit, in quò aſcendendo Nobiliſſima & eminentiſſima ſtant nomina *Matris* CATARINÆ Flotow/ *Avi materni* DITERICI *de* Flotow Hæredit. in Stür/Woltzgarn/vnd Kuhl/ Aviæ maternæ DOROTEÆ de Below: ſtant *proavi ANDREAS de* Flotow/ *& GEORGIUS de* Below/Hæredit. in Körchaw & Conſiliarius provincialis Meckelburgicus: eminent *Proaviæ* LUCIA Moltzan/ *de domo* Grubenhagen/& CATARINA Weltzien/de *domo* Weiſien: floruere *Abavi* DITERICVS de Flotow/& NICOLAUS Below: *Abaviæ* Margareta de Oldenburg *ex domo* Watmanſchagen: & DOROTEA de Gollitzen/ex *Marchia Brandeburgicâ*: excelluere *Atavi* ANDREAS Flotow & BALTHASAR Weltzien: *Ataviæ*, DOROTHEA Hanen & ELISABETHA de Woſten ex *Marchiâ Brandeburg.* unde ulterius attollunt ſe 8. Stemmata *de* Flotow/ *de* Vieregg/ *de* Oldenburg/ *de* Pentzen/ *de* Moltzan/ *Barones* Gänſe/alias Pot-litz *ex Marchiâ Brandeb. de* Bülow/ *de* Hanen. Ex tâm avito ſangvine, unà cum *fratrum pari, & 5. Sororibus* ex quibus ſola CATHARINA Virgo nobiliſſima ſuperat, natus, & ex baptiſmo renatus piè defunctus, cum poſt chariſſimi parentis acerbum ſibi vix quadrimo mortem, in *Scholâ Buzovienſi* prima tyrocinia literarum dediſſet, & in domo ac contubernio *Generoſi ac Strenui deque p. defuncto pariter ac tota provinciâ Mekelburg. meritiſsimi* Avunculi GEORGII Flotow ſanctam illam prætextam ſumſiſſet, & poſuiſſet, factum eſt, ut *Nobiliſsimo & fortiſsimo Tribuno bellico Karbargio* commendatus, Martis ſeſe ſtudijs daret, & *lituo tubæ* bellicæ permiſtum ſonitum, ſegni otio anteferret: neq; vero favore: ſed virtute eniti voluit piè defunctus noſter: unde gregarij militis ſtationes ac miniſteria minorum officialium ſub illis Heroibus NICOLAO de

Kurvil

Kurvil Gallo: item Tribunis Wiſcken/Badendorff/ & Johanne Schon/ prius obire, non, dedecus nobilitatis ſuæ æſtimavit: idq; impetravit, ut per Gradus militares ſub Celſiſſimo Marchione FRIDERICO de Durlach turmæ Equeſtris ſ. centuriæ Ductor, cũ applauſu dici mereretur: ita ergò ſub illis Sanctis & incomparabilibus belli fulminibus GUSTAVO ADOLPHO, purpurato Aquilonis miraculo, & BERNHARDO Duce Weimarienſi, Achille Germanico, quo dubiâ morte ſublato in *trium Liliorum* nomen Exercitus ille migravit, omnes Ductoris & fortiſſimi militis laudes *noſter* explevit. Et decoris quidem VIEREGGIANA hæc Mavortis ſoboles ex bello multum: felicitatis hâc in vitâ exiguum habuit, imo nihil habuiſſet, niſi Nobiliſſimam & Decoratiſſimam Virginem ELISABETAM Vieregge/ viduam nunc mœſtiſſimam 29. Junij Anno 1645. domum novellus Sponſus duxiſſet, ex eadem 5. liberos, ex quibus *Paulus Andreas, & Margareta* - ELISABETHA ſuperant terris: tres Margaretha, Catharina Dorothea, & Adam Viereg / *Deo vivunt, mente cœlo redditâ*, ſuſtuliſſet: ſed & admirabili concordiâ ac fide Sociam hanc tori expertus fuiſſet. Vitam diuturniorem his in terris quis invidiſſet? quis non, cui nota piè defuncti, ſingularis virtus, beneficentia, & fidei ac conſcientiæ bonæ ſtudium id optaſſet? Sed hæc mortalium ſunt vota: aliter placuit cœlo. Ex bello, morbido reverſus eſt corpore: acceſſit hoc anno *catarrhus ſuffocativus*, & cum *Diætam* pararet, incurabilis *Peripneumonia*. Quid hic noſter piè defunctus? Cum de domo ſuâ ultimo diſpoſuiſſet, abdicatis amplioris hujus vitæ fomentis, ſupremum illud unicè meditatus eſt iter, & S. cœnæ viatico ſolemniter ſumpto, incredibilibus cantionibus, ac ſupplicationibus impavidum mortis pectus oſtendit; qvin effuſæ in lacrimarum torrentes, dilectiſſimæ ſuæ, ipſus ſolatia, & ſupremum vale dixit, ad finem usq; tam rationis & ſermonis: qvàm fidei in JESUM CHRISTUM integer, ad quem, miſero & exanimo corpuſculo cujus per 39. ferè annos hoſpes fuerat ſoluta, ſancta migravit Nobiliſſimi defuncti anima d. 2. Maij currentis anni. Grande profectò vulnus inflictum eſt mœſtiſſimæ viduæ: magnum toti VIEREGGIORUM familiæ: idq; tanto matri Nobiliſſimæ acerbius, quod in hoc ipſo *Mariti* funere, ſimul efferri videt funus chariſſimi filioli ADAMI Vieregge/ qui floſculus vernus: vere, *menſe ſc. Martio d. 25.* natus, vere, *2. ſc. menſis Junij*, hoc ipſo anno denatus ſuo exemplo docuit verum eſſe illud Prophetæ: *omnis caro*, fœnum, & *omnis*

gloria

gloria ejus, ſicut flos agri: quæ ſanctiſſima animula nunc CHRISTO, *qvem in baptiſmo induit*, nunc Angelis, nunc triumfantibus animabus ſociata, nunc *Genitoris* DITERICI, nunc ADAMI *avi*, nunc OTTONIS & PAULI, *proavorum maternorum*: nunc VALENTINI Vieregg/ & OTTONIS de WALESLEBEN, *abavorum*: nunc MARGARETÆ Vieregg/ *aviæ*: nunc ANNÆ de Bibow/ & DOROTHEÆ de Walesleben/ *proaviarum* nunc ANNÆ de Ortzen/ & MARGARETÆ de Linſtow/ *abaviarum* (tacemus ſtemmata de Marenholt/ de Sperling/ de Bremer/ de Bibow. de Pentzen/ de Gümmetz/ de Barret/) animabus (qvas in Chriſto hinc exceſſiſſe Charitatis judicio confidimus) juncta, adusq; diem reſurrectionis, qvem μεθ' ἀποκαραδοκίας expectamus, quotquot perfectam in CHRISTO υἱοθεσίαν deſideramus, triumfat in cœlis.

Veſtrum erit, CIVES ACADEMICI omnium ordinum honoratiſſimi, EQVESTRE FUNUS, frequentiâ, & (quod propter quoſdam de Studioſorum noſtrorum ordine addendum eſt) *debitâ gravitate ac reverentiâ* comitare, ne ex qvorundam intempeſtivâ licentiâ apud Nobiliſſimos quoſq; Studioſus ordo ſuſpicionem ferat petulantis barbariæ, quam tamen non tàm ex noſtrâ Academiâ efferri: quam inferri, ſerio dolemus. Ite exequias, *decentes* & frequentes, inter eundum meditamini illud Tertulliani: NON EST TIMENDUM QVOD NOS LIBERAT AB OMNI TIMENDO. P. P. ROSTCH. ſub Sigillo Rect. Univerſ. Roſtoch. Anno CIↃ IↃC LII. XXII. JUNII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777372452/phys_0013
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777372452/phys_0014

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn777372452/phys_0015
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777372452/phys_0016
DFG

Kurvil Gallo: item Tribunis Wiſcken/Badend … ne Schön/
prius obire, non, dedecus nobilitatis ſuæ æſtim … petravit, ut
per Gradus militares ſub Celſiſſimo Marchione … le Durlach
turmæ Equeſtris ſ. centuriæ Ductor, cũ applau … ur: ita ergo
ſub illis Sanctis & incomparabilibus belli fulm … TAVO A-
DOLPHO, purpurato Aquilonis miraculo, & … DO Duce
Weimarienſi, Achille Germanico, quo dubiâ r … n *trium Li-*
liorum nomen Exercitus ille migravit, omnes l … tiſſimi mi-
litis laudes *noſter* explevit. Et decoris quidem … ANA hæc
Mavortis ſoboles ex bello multum: felicitatis … iguum ha-
buit, imo nihil habuiſſet, niſi Nobiliſſimam & … iam Virgi-
ginem ELISABETAM Viereggen/ viduam nu … m 29. Ju-
nij Anno 1645. domum novellus Sponſus dux … 5. liberos,
ex quibus *Paulus Andreas, & Margareta* - EL … ſuperant
terris: tres Margaretha, Catharina Dorothea … regg / *Deo*
vivunt, mente cœlo redditâ, ſuſtuliſſet: ſed & … ncordia ac
fide Sociam hanc tori expertus fuiſſet. Vitam … is in terris
quis invidiſſet? quis non, cui nota pie defuncti … us, bene-
ficentia, & fidei ac conſcientiæ bonæ ſtudium i … hæc mor-
talium ſunt vota: aliter placuit cœlo. Ex bell … verſus eſt
corpore: acceſſit hoc anno *catarrhus ſuffocativ* … *tam* para-
ret, incurabilis *Peripneumonia*. Quid hic noſ … tus? Cum
de domo ſuâ ultimo diſpoſuiſſet, abdicatis am … tæ fomen-
tis, ſupremum illud unice meditatus eſt iter, & … co ſolem-
niter ſumpto, incredibilibus cantionibus, ac ſ … s impavi-
dum mortis pectus oſtendit; qvin effuſæ in lac … ntes, dile-
ctiſſimæ ſuæ, ipſus ſolatia, & ſupremum vale … i usq; tam
rationis & ſermonis: qvàm fidei in JESUM … M integer,
ad quem, miſero & exanimo corpuſculo cujus … os hoſpes
fuerat ſoluta, ſancta migravit Nobiliſſimi defu … Maij cur-
rentis anni. Grande profectò vulnus inflictun … næ viduæ:
magnum toti VIEREGGIORUM familiæ: ic … Nobiliſſi-
mæ acerbius, quod in hoc ipſo *Mariti* funere, … det funus
chariſſimi filioli ADAMI Viereggen/ qui floſc … re, *menſe*
ſc. Martio d. 25. natus, vere, *2. ſc. menſis Junij*, h … natus ſuo
exemplo docuit verum eſſe illud Prophetæ: *on* … n, & *omnis*

gloria

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777372452/phys_0017
DFG